



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus V. Novitates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS V. NOVITATES.

§. I.

Christus D. eas vitat.

Cum jejunasset quadraginta diebus &c. Matth. 4. 2. Cur Christus elegit ad jejunandum numerum quadagesimum? Ne excessus jejunii pariat admirationem, & quid inauditum introducat. Poterat enim Christus jejunium Moysis, & Eliae, transcendere; sed, pro singularitate vitanda, noluit. Id. c. 3. hic q. 8.

Penitentiam agite. Matth. 4. 17. Cur Christus D. iisdem Joannis Matth. 3. 2. verbis suam inchoat prædicationem? Cajet. hic. Observandum, quod Jesus ab eadem materia inchoat suam prædicationem, à qua inceperat Joannes: tum quia Joannes præparatione, Jesus verò perfectione, hanc materiam prædicationis: tum ad confirmandam prædicationem Joannis: tum ad exemplum nostrum; ut non dedignemur inchoata ab aliis, etiam minoribus, bona prosequi. Sylveira l. 3. c. 1. q. 20. de Joanne prædicante.

Non veni solvere legem. Matth. 5. 17.

Alii Joannem Baptistam &c. Matth. 16. 14. Cur dicunt eum unum ex defunctis Patribus? Venit Christus novas homines in hunc Mundum; cur non dicitur, & judicatur, novus homo? Fugiebat novitates: eosque mores in suis actionibus exhibebat, qui jam erant in aliis agniti. Id. in Joan. 5. q. 19. Nemo in Jesu cornebat, quod non veterum moribus confirmatum. Bæza t. 2. l. 10. c. 5.

Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Marci 7. 32. Cur impositione manuum Christus hunc miserum sanat? R. Veterum morem Christus tenere voluit, qui idem fecerunt: ut Elias, & Elizeus 3. Reg. 17. 21. 4. Reg. 4. 34. Sic optat fieri leprosus Naaman 4. Reg. 5. 11. Sylveira hic. q. 5.

Quæcunque ille (Pater) fecerit, hæc & Filius similiter facit. Joan. 5. 19. Cur unus tantum sanatur à Christo? sicut angelus unum sanat, ita & Dominus; nec plures, licet pos-

set. Unde arguuntur, qui in suis actionibus novitatem affectant, & supra alios aliquid addere conantur. Sylveira hic q. 19.

Expuit in terram, & fecit lutum. Joan. 9. 6. Sumpsit Dominus lutum de terra, & plasmavit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superlinivit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem. S. Irenæus l. 5.

Maria Unxit pedes Jesu. Joan. 12. 3. Ne peregrinæ adinventionis studeas superinducere novitatem: nam & ipse, qui est Magister Angelorum, in cælo, morem in terra tenuit, quem invenit; nec designatus est, terrenam servare consuetudinem. Nam cur sibi caput, & pedes, unguento conspergi muliebris ministeriis passus est? nisi, quia Palæstinæ, atque Judæicæ, regionis mos erat, ut ejus accolæ crebrius ungerentur, Petrus Dam. ep. 106.

§. II.

Alia Motiva eas vitandi.

Deus Patrum nostrorum. Judith 6. 17. Cur Bethulienses inchoant sermonem hoc titulo? Est frequentior in Scriptura. Ex. 3. 15. Deut. 1. 11. Jos. 18. 3. Act. 3. 13. Credo Hebræum hac loquendi formā laudatum ab antiqua fide, ac monitum, ne à sacra parentum via abeat. S. August. lib. de anima: semper viris sanctis suspecta novitas. Velloso hic Pat. 12.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Matth. 15. 2. Non erant traditiones Majorum; sed depravationes ab eis inventæ, quas colorare volebant nomina majorum, ad introducendas suas novitates, semper enim sanctionum novitas placet improbis. Unde Paulus 1. Timoth. 6. 20. *devians profanas vocum novitates.* Sylveira addit in Matth. hic.

Habet hoc proprium humanæ mentis fragilitas; quod promptius novitatibus, quam summis veritatibus, delectetur. Sim. Cass. lib. 9. c. 34.

TITULUS VI. NUPTIÆ.

Converse sunt nuptiæ in luctum. 1. Machab. 9. 41. Sic sæpe in Mundo plausus vertitur, & extrema gaudii luctus occupat. Cornelius hic.

Vocatus est autem & Jesus ad nuptias. Joan. 2. 2. Felices nuptiæ; felices illæ, quibus Christus est præfens; non luxu, sed virtutibus consecrantur. S. Chrysost. l. 157. Vocant om-

nes Christum ad nuptias; ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in iis agant, quam Christiferam deceat sanctitatem. Sim. Cass. lib. 5. cap. 1.

Non tantum boni est in nuptiis, quod speramus; quantum mali, quod accidere potest, & timendum est. S. Hieron. ep. 111.

Vide plura Matrimonium.

Polyanth. Sacra, Tom. II,

A a

Ti-